



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 97. Angelus Nicolinius Cardinalis mortuus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Episcopi in Pannonia ad exequendum Pastorale officium creentur, qui idonei, & ex eadem natione essent. Denique VI. Augustana Confessione illis, qui vel-
 lent, uti liberum sit, ac propterea nul-
 lus hujus sectæ fautor molestetur: por-
 ro id ipsum etiam aliis comitiis, & prio-
 re, & hoc anno petatum fuit: sed nun-
 quam assensum dedit Maximilianus Im-
 perator, unde hic eadem animi, fidei-
 que constantia, qua in prioribus comi-
 tiis hanc libertatem execrabatur, nunc
 quoque huic articulo annuere renuit,
 moxque die quarta Aprilis Viennam
 reversus est.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1567.

§. XCVII.

*Angelus Nicolinius Cardinalis
 mortuus.*

Paucos ante Menses Angelus Nicoli-
 nius patria Florentinus ex nobilif-
 sima, ac pervetusta familia Anno Chri-
 sti millesimo quingentesimo primo na-
 tus hoc anno mortalitatem exiit, cu-
 jus Pater nomine Matthæus profunda
 juris civilis, ac Canonici scientia tan-
 toperè inclaruerat, ut Cosmas Medi-
 cæus Florentiæ Dux illum secretioris
 Consilii sui Senatoribus accenseret, ei-
 que gravissima Ducatus negotia com-
 mitteret: Angelus vero non minus di-
 gne, quam prospere apud Paulum III.

*Ciacon. vit.
 Pontif. t. 3.
 p. 598.
 Amireto hist.
 fam. florent.
 Ughel Ital.
 Sacr.
 Aubery hist.
 des Cardin.*

Pa-

Sæcul. XVI.
A.C. 1567.

Papam, & Carolum V. Cæsarem Legatum agebat, ubi Margaritæ, quæ eisdem Imperatoris Filia erat, jura tuebatur, tam secundo legationis successu, ut, quidquid desiderabat, a Cæsare impetraret: porro inde redux, Senensis Gubernator nominabatur, tum quidem matrimonio junctus, ubi tamen uxore sua orbatus erat, relictis sæculi pompis sacram militiam profitebatur, ac primo ad Caroli Borromæi commendationem die decima quarta Julii Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo quarto Pisanus Archiepiscopus, anno autem sequenti, licet absens a Pio IV. ad Florentiæ Ducis preces Cardinalis Presbyter titulo Sancti Callisti renuntiatus est. Postea Romam contendens ad Sacrum Purpuratorum Collegium unacum Ferdinando Mediceo itidem Cardinale in quodam Patrum Senatu die decima octava Maji habito solemniter recipiebatur, haud diu tamen sua dignitate potitus, cum die vigesima secunda Augusti hoc anno, ætatis autem suæ sexagesimo sexto subitanea morte vivis eriperetur. Corpus ejus Florentiam delatum ibidem in Ecclesia ad Sanctam Crucem terræ mandatum est, ubi hodie ejus monumentum jussu Joannis Filii sui erectum visitur unacum inscriptione sepulcrâli,

in

in qua ejus dotes, munia, mortis suæ Sæcul. XVI.
A.C. 1567.
annus, ac ætas describuntur. Interfuit
Angelus sacris comitiis, in quibus
Pius V. Papa ad Divi Petri Cathedram
evehebatur.

§. XCVIII.

*Joannis Langi, Robertelli, aliorum-
que obitus.*

Inter Ecclesiasticos hoc anno defunctos Thuan. l. 41.
Gesner.
Bibl. Melch.
Adam in
vita Juris-
con. Germ.
primo loco recensetur Joannes Lang,
feu Langus Freystadii Teschinensis Du-
catus urbe in Silesia natus, ubi etiam
die vigesima sexta Augusti anno ætatis
suæ circiter sexagesimo quinto obiit, post-
quam variis in locis humaniores lite-
ras, ac jurisprudentiam cum tanto ap-
plausu tradiderat, ut in Wratislavi-
ensis Episcopatus Cancellarium, perpe-
tuumque Ferdinandi I. Cæsaris Consi-
liarium seligeretur, a quo etiam variis
maximi momenti negotiis præfectus ea
feliciter gerebat: insuper celebre red-
debat ejus nomen Historiæ Ecclesiasticæ
a Nicephoro conscriptæ versio, quam
Langus jussu Ferdinandi Cæsaris ador-
nabat, unico illo, quod tum in Europa
erat, usus exemplari: suum vero opus
in octodecim libros partitus breves ad-
notationes adjunxit, & primo Basileen-
sibus literis anno Christi millesimo quin-
gentesimo quinquagesimo secundo apud
Hist. Eccles. Tom. XLVIII. M Opo-